...rius

Wilczek Danielis: Xenium. – Domino Antonio Franckowicio Leopolitani etc

XENIVM.

Maiorum natalibus clariſs. & ſpectabili

VIRO,

DOMINO ANTONIO

FRANCKOVICIO LEOPOLITÆ.

Reipub. Cracouienſis Senatori vigilantiſs. &c. &c.

Domino, ac Mæcenati clementiſs.

Amoris, & obſeruantiæ ergó.

A

DANIELE WILCZEK CROSNENSE,
Studioſo almę Academię Cracouien.

Dicatum.

CRACOVIÆ, Anno Domini M. DC. XII.

Excellentissimo viro D. Sebastiano Jgolomi Artium et Philo[sophiae] Doctori in alma Acad. Cracouien. Collegae minori, et Professori D. suo observandissimo Author Ded.

Praeposito S. Adalberti in circulo Crac.

IN STEMMA.

Spectabilis Domini,

DOMINI ANTONII FRANCKOVICII LEOPOLITÆ
Conſulis Cracouienſis &c. &c.

LVSVS PRIMVS



Quàm benè ſub nubes LEO montes, tollit, & Arcton!
  An quia & hi celum, tangit & illa polum?
Fœlix Franckouici, qui tanto ſtemmate flores:
  Sorte tui facti gens tua celſa petit,
Mons nota virtutum, LEO famę, & ſtella, perennis:
  Quære aliud maius, ſi potes, orbe decus.

LVSVS SECVNDVS

Fert LEO tres pedibus montes, ſidusque coruſcum,
  Symbola quę monſtrant, vim, decus, ingenium.
Pectora celſa geris, niueę & virtutis honorem,
  Franckouic, factis, lumine, laude, nites.
Sic tua fama volat veteris per mœnia Craci,
  Sic alto virtus altior alma polo eſt.

PRÆFACIVNCVLA.

VSus Romanorum ferebat, FRANCKOVICI vir ſpectatiſsime, omni genere officiorum, atque mutuâ ſtudiorũ beneuolentiâ, amicis auſpicem anni ingreſsum precari; cuius rei ſymbolum, Calend: Ian. munera ſibimet per internuntios, additis fauſtis ominibus, ac verbis amicâ fide plenis, mittebant. Et ſané non iniuriâ. Vt enim illi, qui trans maria, effrę natâ voluptate mercium, & queſtus magnitudine illecti, currunt, ſi tot pericula, quot in pelago ſunt, Syrtes, Charybdes, Ceraunia, & alia ſexcenta monſtrorum genera euaſerint, ſibi mutuò gratulantur, ab amicis nimiũ quantùm humaniter excipiuntur, de nique muneribus quà exoticis, quâ etiam peregrinis ſeipſos accumulant: ſic homines, qui anni veluti vaſtum Oceanum, & immenſa propemodùm temporis ſpatia, ventis ſecundis, & aurâ placidâ, tot Scyllas vitę noſtrę inſidiatrices (vtinam ſine conſcientię iacturâ, quod vt optamus, ita Deo iuuante ſperamus) emenſi ſunt, ſané meritò idem facere videntur. Itaque iure optimo hunc morem imitamur, & retinemus, nunc pręſertim, cûm Ianus bifrons, & principium anni ſequentis, & finem pręteriti lętus aſpectat. Equidem mihi, qui partim propinquâ cognatione te attingo, partim magno beneficio, & merito tibi deuinctus ſum, quid offeram, non aliud occurrit, quàm, vt recens ſuffragante diuinâ clementiâ huius anni ingreſſum bene tibi fortunare Deus ter Opt. Max. & ad finem felicisſimum perducat, amicisſimè comprecer: ſimul etiam exilem ingenii mei ſegetem: vt potè hoc Pöemation, lętitię in toto Polonię regno incredibilis vbertatem complectens, tibi meo tutelari dedicem. Vtinam illud perenne numen, te, cum omni ſtirpe, non ſolùm anni pręſentis cur-

tis curriculo, verúm etiam aliis quàm plurimis, incolumem ac florentem conseruet, Quod reliquum est, hoc exiguum nomine tuo in lucem munus editum, singularem animi nostri testificationem suscipere ne graue sit, & cùm acceperis, vetus & inconcussum meum in te studium, tuę virtuti meritò debitum, semper restaurandum cognosce; Vale: & me Clientem foue, Calen: Ian. Anno à partu salutifero Virginis. M. DC. XII.

Ex ædibus nostris.

ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ.

ARma cano, Hesperium quę Solis ad vsque cubile,
Igniuomans rosco vultu distendit Eous,
Et quibus armipotens heros sublimè sub auras,
Æthereas vexit clarum nomenque, decusque,
Sauromatûm. Musas qui proluis amne Caballi,
Castaliosque choros Ascræo nectare roras,
Da vati facilem cursum, & felicibus ausis,
Vati qui modicùm Aonio durauit in antro,
Et cuius pedibus vix est calcata Pyrene;
Est regio gelidum latè protensa sub axem,
Quam videt è superis custos Erymanthidos vrsę,
Parrhasiumque premit sidus, septemque triones.
Frondibus hanc densis, truncisque frequentibus altum,
Claudit vtrinque latus nemoris, saltusque profundi,
Diues opum, pecorisque ferax, mellisque, feręque,
Nec non pelle potens, armis, atque vbere glebę,
Proxima Colchicolis, Mosquam dixêre priores.
Hanc propè Dædaleis manibus super àëra celsum,
Assurgit bellis clara vrbs, cæloque minatur
Vertice, magnificis aliarum haud infima tectis,
Ter centum fossis, ter centum turribus altis
Ardua, tùm vallis, murisque elata superbis,
Nomine quam veteres Lechi dixêre Smolenscum:
Hanc iterum, ac iterum robustis viribus omnes
Expugnare Borysthenidę, telisque nefandis
Certabant, auidi totam subuertere opum vi:
Pugnaces strictis contrà defendere telis
Sauromatę, ac validis acies detrudere contis,

Nec ſanè ex alto voluebant irrita ſaxa.
Cœca manus nimiùm, ſortisque ignora futurę,
Iuſſa Dei contra molitur in vrbe necare
Hoſtiles turmas. Quàm parua potentia gentis
Humanę, auxilio ſi fors orbata Tonantis!
Sarmata ſolus eam patriâ ditione premebat:
Tota Boryſtenidûm gens fraudis compta colore,
Sæpè dolos tacito nectebat pectore, & artes,
Hoc ipſum vt ſtrueret, patriâ quò grande Smolenſcum,
Lege atque imperio (latè iam tùm ſua fræna mouebat
Princeps in populos) victrix moderetur habenis.
Nectit & ante alios ſcelerum fraudesque, doloſque,
Dux, mileſque bonus, nunquam pietate, ſed armis,
Glinſcius, ille cui legum veneranda poteſtas,
Sed pretio Moſchi, fuluo corruptus & auro,
Sarmaticas, in Moſchiadas, inimicaque caſtra,
Adiungi miro properauit amore phalanges,
Sic fidens animi; ſic ille in vtrumque paratus;
Seu verſare dolos Lechis, ſeu cæde perire:
Arriſit votis animi fortuna probatis:
Celſos namque arcis muros venientibus vltrò
Moſchiadis, portasque, & clauſtra recluſit ahena:
Non potuêre capi numeroſo milite cincta:
Tanti operis fuerant Smolenſci mœnia maghi.
Iamque ferè luſtris bis denis fortè peractis
Iura dabat, duriſque agitabat legibus illam
Hoſtis, cùm ſuperûm rector, ſub numine cuius
Lechiadę tuti, cupiens molimina gentis
Frangere Moſchorum, per ſomnum viſus adeſſe
Sarmatico Regi, curaſque his addere dictis.

Quid

Quid mea cura siles? Cur arma capessere tandem
Negligis? hunc ergo populum patieris inultum?
Arxtua, cerne, reuulsa tui de corpore regni,
Seruiet externo non eripienda Tyranno?
Sicné tuum nomen Ducibus vilescet iniquis?
Respice auum, Litaui gentem, qui subdidit vltrò
Sauromatis: quantùm sua gloria floret in orbe!
Tu nihil adiicias? Sic vis inglorius æuum
Transigere? an nescis quę commoda, quantaque regno
Indè fluunt, latè vastum memoranda per orbem?
Non est difficilis res, en occasio pulchra,
Quando madent Domini nece, quando fœdera frangunt.
REX Stephanus potuit prior horrida bella ciere,
Me duce, cùm Princeps crudelis viueret ollis,
Vt magè tu valeas, comitem me semper habebis,
Ipse ego te ducam custos tua facta gubernans.
Vade agè, belligerosque viros in prælia iusta
Spontè para, referes victricia signa triumphans.
Dixit: & iniecit Sismundi cordibus ignem
Curarum, inque polum paribus se sustulit alis,
Corripit à somno corpus, neque cernere quenquam
Fas erat, agnouit stirps Iagellonia numen,
Auxiliumque Dei, tali tunc voce precatus:
Arbiter astripotens, totum qui dirigis orbem,
En tua iussa sequor, mentem, viresque, ministra,
Solus concordes animos infunde Polonis
Militibus, solus rege magnanimumque senatum,
Ad bellum est animus; quis perfida pectora Mosquę
Aspiciat clemens, toties quę prouocat iram?
Siccine Sauromatis illudet Mosqua superba?

O gens dura, dabis pœnas pro sanguine fuso
Principis, ac nostrę disrupto fœdere gentis.
Sic fatus, curas ingentes pectore versat,
Atque animum celerem nunc huc, nunc diuidit illuc.
Tempus erat, quo bruma riget, quo clarus in imo
Phœbus equos agitat cælo super aurea Capri
Cornua, frigoribusque viros, pecudesque fatigat:
Intereà Iagellonides Dux maximus orbis,
Indixit proceres acciri, amplumque Senatum,
Legiferam in sedem, arcanas vbi mente reuoluit
Curas, & leges aperit, casusque futuros.
Postquam congressi mediis in sedibus aulę,
Inque vicem solitas dextras iunxêre, resident.
Et tandem varii vario sermone fruuntur.
Rex prior hęc, altè solio subnixus auito,
Profert verba: omnes arrectis auribus astant.
Sauromatę magni, quę sit sententia menti:
Quid Deus inspiret nobis breuis ordine certo
Expediam: huc animos dictis intendite vestros.
Haud ignara cano: quantis virtutibus olim
Terrisonos armis hostes, gentesque superbas,
Seruitio pressit captiuo Sarmata victor:
Miramur trucibus Russos succumbere bellis?
Scilicet hos virtus maiorum colla cògit
Subdere, & imperio victos seruire Polono;
Quis nescit quæso vestrûm, nos Marte Borussum
Contudimus, cui iura damus, quis credere possit?
Effera vis Pomesaniadûm, quę sępè tumultus
Sarmatico mouit regno trepidos, vbi nunc est?
Ante tubam nobis audax Liuonia seruit,
Litali-

Litalicumque ſolum, atque ferox Maſoſsia bello,
Tres alias arces, cenſuque, viriſque, valentes,
Iunximus imperio, ferroque domauimus acri,
Luſcum, & Valadimiriam, Chelmamque potentem.
Hoc quid? Moſchiadûm ſobolem ergo in pace ſinemus
Degere? quę toties temerat data pacta, doliſque
Sarmatiam vafris ſua ſub iuga mittere tentat?
Ecquid ceſſat iners vlciſci dextera crimen
Lethiferum? num Sauromatis pro crimine tanto
Exiguę vires? Hinc pergama celſa Smolenſci
Comprimit, hinc Lechos duris circumſonat armis.
Quid memorem miſeras cędes, quid ſtragis aceruos
Infandę? Rumpunt communia iura Tyranni.
Legatos (ſcelus infandum) qui nomine regnî
Gratari, nuptęque nouę, ſceptriſque DemetrI,
Sunt miſsi, fœdo retinent in carcere noſtros,
Quis ferat hoc facinus? Rex ô ſtellantis Olympi,
Verte tuos oculos, gentemque excinde ferocem:
Magnum quin etiam Dimitrum ſibi ſceptra gerentem,
Extinxit gladiis, & funere merſit acerbo.
Fas eſt vt commiſſa luat, noſtriſque ſub armis
Conſternata ſolum trepido diademate pulſet.
Hoc Deus inſpirat nobis, mens ardet in iras.
Longũ cuncta loqui, vobis meditanda relinquo:
Nam ſi cuncta velim verbis detexere, pronos
Phœbus equos prius altiſonis immergeret vndis.
Effatus tantùm: Proceres, totamque coronam,
Incendit virtus, animuſque in pectore fortis,
Spem dedit ambiguę menti; tùm bella iuuentus
Bella amens fremit, & bello contendere in hoſtem

Ardet, mox strictos vaginâ diripit enses,
Pro patrioque solo vitam cum sanguine poscit
Fundere, iucundumque mori decernit in armis.
Vt placati animi primùm, & iuuenum ora quierunt:
Hîc senior patrum, vultu trepidante potentem
Alloquitur regem, tremulo de pectore dicens.
Inclyte REX summi non vltima cura Tonantis:
Lechiadę prisci, famam, & memorabile nomen,
Virtute inuictâ, simul & pugnacibus armis,
Quęsierant olim: caput & vaga sidera testor,
Sic regni fines auxêre, & finibus hostem
Summouêre trucem, externis non viribus aucti:
Nec dum sunt resides animi, stat viuida virtus
In bellum horrificum, seram quę ritè iuuentam
Sarmatię monet, vt primores passibus iisdem
Æquet, & illorum miretur maxima facta,
Palmasque, ingenti quoque sanguine parta trophęa.
O mihi si redeat viridis quę floruit ętas,
Qualis eram iuuenis, durâ quàm fortia gessi
Bella manu, procul ô turpi formidine pulsa,
Nouerat hanc Teutho sua de cruce nomina portans,
Nouerat horrendus telis Scytha, Moschus & atrox.
Quid Turcus? quoties campo cum vulnere cèssit?
Quin aliis etiam viget horrida dextera bello,
Si tantùm arma manus poscunt: quàm Moschus acerbos
Lechiadas benè sanguineam cognouit ad Orsam!
Meleciumque, Duces, Radiuilumque cruentum,
Nominis ad quorum sonitum defixus in vno
Obtutu, subitò tristi terrore rigebat.
Ac velut Idalię volucres, quas fortè vagantes,

 Callidus

Callidus accipiter deprendit in æthere vasto,
Comprensasque secat falcatis vnguibus, illę
Sanguineis trepidant alis, auidasque cruoris
Horrescunt fauces, & lumina torua tremiscunt:
Haud aliter voces, & nomina sola Poloni,
Moschiadûm soboles, exangui corde tremebat.
Pars, si Vitoldum quando conspexit ahenis
Horrentem squammis, sese proiecit in vndas
Fluctiuomas, capulo tenus aut in viscera torsit
Fulmineos enses, vulnusqué in vulnere fecit,
Pars laquéis tetricis sibi dura ligauit ab orno
Guttura: pars sese iactu dedit ęquor in imum,
Semianimes multi flammas petiére micantes.
Aspera sors hominum visa est magé suauior hosti,
Quàm vultus oculis rigidi spectare Dynastę.
Fœlices ô Lechiadas ter, & ampliùs, illos,
Quos hostis plus quàm Zanclæam nauta Charybdim,
Syrtesque, aut rabidos Scyllę vitauit hiatus.
Nunc quis Sarmatię status, & quę tempora rerum
Extent, quis contra nos suscitet arma? videmus.
Quas habeat causas? sic in discrimina vitam,
Et regnum nostrum (prô sortem) quisque vocabit?
Quin agité ô iuuenes, maiorum expendite facta,
Et victi, votis animos reuocate Polonos
A iugulis, armis tandem reuocate periclum.
Tu REX magne celer reseras stridentia belli
Limina, crudeles hostes, si mente benignâ
Exciperes, capere anté dolis & cingere ferro
Te citiùs poterint sin ardes Martis amore,
Et si Lechiadûm casus auertere cordi est,

Aude REX superûm præstantibus annuet ausis.
Scilicet eximię vires, & fortia bello
Pectora deficient nobis: sunt arma Polonis;
Sunt animi in Moschum, & rebus spectata iuuentus,
Cominùs intrepido cui seu decernere ferro,
Seu pedes armatis, atque obuius hostibus ire
Præcipias, paret subitò ac mandata facessit.
Dixerat: ast omnes læti simul ore fremebant.
Ecce autem armati rigido sua corpora ferro,
Centum Oratores, manicis pendentibus imam
Ad terram, picti rubicundis vestibus adsunt,
Moschiadę, placidę rupturi fœdera pacis,
Olli signa ferunt belli: manus altera portat
Sanguineos enses, fulgens fert altera scutum.
Postquàm introgressi, & coràm data copia fandi,
Sic prior ore refert: Magni REX inclyte regni,
Per spatia ampla soli, passi discrimina vitę,
Hostibus in mediis, huc tandem præpete cursu
Venimus, inuicti Moschorum iussa referre
Cęsaris, hęc oculis belli, quę symbola cernis,
Illa tibi mittit iustam concitus in iram:
Nam tua gens nostri fines inuadere sueuit
Imperii, ac villas ferro vastare propinquas:
Quin armis veniens ad nos succincta, cohortes
Armisonas duxit, fictum solioque locauit
Demetrium, contra fas, contra fœdera pacis:
Prô scelus indignum Moschos vexarier vltro!
Quare agè, Sarmatici regni qui sceptra gubernas,
Arma capesse manu, libet armis quærere pulchram
Imperii libertatem, quam perfidus hostis,

Audaxque

Audaxq́ue, haud dubitat gladio temerare minaci:
Nullam cum Lechis pacem, legemque, fidemque,
Moſchica ſtirps quodcumque ſequens ſeruabit in æuum.
Conticuit tandem, cuncti ſimul ordine longo
Lechiadę frendent, neque ſegnes arma requirunt:
At REX impatiens, iam pridem rumpere voces
Geſtiit inuiſas, accenſus corda furore:
Tum ſic iratus dictis reſpondet amaris;
Quæ nam ſors vobis extollit in àera vanas
O Moſchi mentes? Placet almæ vincula pacis,
Soluere? iam dudum cupit hoc vidiſse iuuentus,
Libera Sarmatiæ, longam éxecrata quietem,
Litùſne Euxini ſudari ſanguine veſtro,
Optatis? Certè rabido ſi flagrat ab æſtu,
Reſtinguam flammas violentas imbre cruento:
Vos Dominum immeritum crudeli morte necaſtis?
Sic benè ſanguineum pendetis ſanguine lethum,
Quid quôd legatos retinetis carcere fędo?
Contra fas? eheu ſcelerati corde Tyranni,
Vos nuptamq́ue nouam claro de ſanguine: floremq́ue
Eximiæ, nullo tenuiſtis honore: iuuentæ,
Pro quo dignus erit, populi comitante caterua,
Princeps crudelis, ramo qui pendeat alto,
Auricomos numerans ignes fulgentis Olympi.
Nunc ite, & reſidi populo, tumidoq́ue Tyranno,
Hœc mea dicta referte; dabit gens improba pœnas,
Exeat, ac proprias acies producat ad arma
Sauromatis, aliena manus, ſanguisq́ue quieſcat.
Hæc vbi dicta: ſtatim ſolio ſurrexit ab aureo,
Et propero greſſu ſuper alta palatia ceſsit,

In patriam redeunt Moschi, rabidisque feruntur
Passibus, vt iussi gratissima bella reportant.
Phœbus ad Antipodas gemmatum verterat axem:
Cùm Sigismundus geminas ad sidera palmas
Extollens, plenus gemitu, sic ore precatur:
Huc flectas oculos, æternum numen Olympi,
Tuque immortali proles æquæua parenti,
Cerne, pater, gentis fastus, animosque minaces!
Quid merui? Quæ causa mouet mihi prælia? quantis
Iste malis populus mentem vitiauit anhelam.
Refręna cędes, iam stupra nefanda coërce,
Vota, precesque meas, sanctum ne despice numen:
En hostis parat arma ferox, bellumque minatur
Sauromatis, si quid miti pietate meremur,
Sarmatię auxilium fer, non indebita posco
Huic regno, quęso clemens succurre petenti:
Hic seruare domos, homines, arcesque, focosque,
Et dare victrices palmas, ex hoste superbo
Fas: hîc namque sacras tibi thura cremantur ad aras:
Da mihi, militibusque meis in prœlia vires,
Ne fors quassatus bello, durisque procellis
Vincatur, perdens optata trophęa Polonus.
Vix ea fatus erat: cùm lux effusa repentè
Impleuit claris radiis laquearia tecti,
Auricomasque trabes: tunc omnia visa cremari:
Namque Iagellonides demissus ab ęthere summo,
Vt placuit superis, Sigismundi Regis in ędes:
Auratam cinctus chlamydem, gemmatus & ora,
Et cast os humeros radiatus Iaspide fuluâ,
Fronte rosam niueam referens, oculisque pyropos,

Cęsa-

Cęsariem flauus, Diademate tempora vinctus:
Aduolat extemplò, claraque in luce refulget:
O quantùm DIVVS fuerat rutilante figura!
Quantus honos oculis, quantus decor additus ori,
Sedibus empyreis cùm regia tecta petîsset,
Hos, tales, tantosque viri venientis Olympo,
Fas Diui fuerat SISMVNDO cernere vultus,
Quos flammans acies superûm in cęlestibus oris
Aspicit: expleri generosam nescia mentem.
At REX attonito similis, sua lumina cœlo
Infixit, palmasque tenens, nihil ore locutus:
Hunc IAGELLONIDES dictis solatur amicis:
SIGISMVNDE potens, me, me, Deus ipse suprémus
Per celeres auras, nunc ad tua limina misit:
Ille ego sum, cui sors generis te sanguine iunxit:
DVX IAGELLONIDES, qui primo flore iuuentę,
Mille vias etiam lethi calcare cruenti
Elegi, Veneris quàm pręmia nosse nefandę.
Huc te conuenio, tibi opem dicturus in hostes
Moschiadas: Prô magna tibi tutela Tonantis;
Surge agè, & inuecto sursum Phàetonte vocari
Primus in arma iube socios, clangore tubarum:
Tempore non multo mihi, stirps mea, crede canenti,
Spectabis dulcem fęlix ex hoste triumphum.
Vix ea: cùm męstos oculos suffusus obortis
SISMVNDVS, lacrymis: tandem ora, genasque rigauit
Terque quaterque imo suspiria pectore duxit:
Non lacrymis: CASIMIRVS ait, neque luctibus istud
Tempus, iam propera, cape vires, & cape vires,
Præuius en bello tibi sum dux: vincere spera,

His dictis deinde ex oculis ceu fumus in auras
Dilapsus vacuas fugit, tectumque reliquit.
At REX sæuum acuit Martem astripotentis adactus
Numine, in arma viros vocat, hortaturque morantes:
Per varias vrbes regni taratantara clangunt.
Ardet inextincto belli certamine miles,
Tùm clamore simul ferit aurea sidera lętus,
Pars pedes ire parat campis, pars ardua terga
Scandit equi, cogitque arctis parere lupatis,
Pars pingui aruinâ clypeos, & spicula tergent
Lucida, pars plumbo liuenti fulminis instar,
Fatiferos armant heu bombos glande crepanti:
Signaque ferre placet, conchasque audire sonantes:
Scuta cauant humeris alii, sęuosque dolones
Exacuunt, alii loricas ęre rigentes,
Aut conos venis argenti, ensesque, retorquent;
Buccina iamque sonat iussos inflata recessus;
Hic textum nodis iaculum rapit, ille coruscis.
Subnixam galeam cristis, atque ęgida fuluam
Induitur, bigisque citas infręnat habenas:
Ast alii duro pręfixa hastilia ferro,
Aut Lycias portant pharetras: plenasque sagittis,
Aut tormenta vehunt tremulas spargentia flammas.
Nunc agitè ô Musę! teneris Helicona virentem
Pandite carminibus: mecum vestramque mouete
Sponte lyram: vidistis enim quibus arserit armis,
Quas ferro strages, quę funera, Sarmata fortis
Ediderit, repetens sibi reddi Marte Smolenscum.
Maius opus moueo: maiores suffice vires
Calliope, doctis comitata sororibus vltro.

Cúm

Cùm rutilos ſurgens thalamos Aurora reliquit:
It iubare exorto pubes, clypeataque portis
Agmina Ruſsiadûm, legio denſata cohorte,
Sarmaticique ruunt equites, atque accola feruens
Iſtri fluctiuomi, tum quos pater Iſtula binis
Cornibus armatus ſinnoſo lapſus in ęquor
Impete, ritè viros fortes in pręlia miſit;
Hi Dneſtri ripas habitant, illique fluenta
Nepri, mellificis alii de finibus adſunt
Podolię ciues, qui ſyluas, aruaque cultu
Frugifero ſpatioſa mouent: hi falcis honorem
Herbiferę recoquunt, & adunci vomeris vſum
In gladios, iaculumque micans, & cuſpidis ictum:
Quique bibit Rabam, quem paſcit & ipſe Grepacus,
Et quos G N E S N A vetus nidi de nomine dicta,
Aut gignens hominum pulchros POSNANIA vultus:
Maſouię ſequitur populoſę dura propago,
Litalicęque manus, & pictę ſcuta cateruę,
Et maris vndiuomi vicinus ab ęquore miles:
Omnibus in morem coma tonſa, caputque Polonis
Raſum, vix pauci reſtant in vertice crines:
Purpureis ſplendent tunicis quędam agmina, quędam
Cęruleis, fuluisque micant, albisque lacernis:
Horreſcunt enſes campis, haſtæque frequentes
Eripiunt ſolis radios, & lumina cęli,
Bombardis tectique volant, pictiſque pharetris.
Claſsica iam reſonant per compita multa viarum:
Iam crebris hominum reboat clamoribus ęther:
Puluere miſcetur campus, murmur ferit auras:
Quadrupedante pedum pulſu gemit excita tellus.

Agmen agens equitum ZOLKIEVIVS acer in armis
Primus adest, cunctos & diuidit ordine certo,
Millibus in mediis: ostro spectatus, & auro.
Hinc CAMENECIVS, Nouoducor scius inde cohortes,
Et forti Mauorte grauis FELINSCIVS heros,
Ducunt: Quid memorem VAIERVM pectore magnum?
Quis CHOTKIEVICIVM, cui vim Bellona ministrat
Inuictam, donans faciles ex hoste triumphos?
Quis posit digno fortem canere ore SAPYAM?
Hic gemini fratres, iuuenes, LVBOMIRSCIA proles
Fertur equo volucri. Clotho heu fera sustulit vnum;
Audax GAIEVIVS iuxtà moriturus in armis
Ibat, & illustri cretus de sanguine: densum
Agmen agens DOROCHOSTAISCIVS agminis instar;
Qui fęlix bené Litalicis dominatur in oris.
Ipse inter primos REX toto vertice supra est;
Ingrediturque solo faciem pulcherrimus heros
Antè alios, sonipes maculis quem Thracius albis
Sustinet, & Dyclis tegit irradiata metallis,
Cui pharetra, & Tyrio nodatur murice lęna,
Defluxa ex humeris quę terrâ diuite Medus
Fecit, & obrizo distinxit dona metallo
Filius hunc iuxta vult Vladislaus amicis
Arma tenens manibus, fuluis stellata Beryllis,
Ire, patremque roget: mediis in millibus ardens,
Optat equum, magnum si posit vincere Moschum,
Ipse negat genitor, mandat tractare Mineruę
Munera doctisonę, regno valitura Polono.
Insequitur nimbus peditum, pilataque pubes
Densatur campis equitum, innumerę que phalanges,

Inte.

Intereà diro quatitur terrore Smolenscum,
Fama volat pedibus celer, ac pernicibus alis,
Sarmatię aduentare manus, Regemque Polonum:
Conuectant patulis Cererem, dulcemque Lyęum,
Portis, res omnes argenti pondera, & auri,
Gemmas fulgidulas pretiosas vndique vestes.
Quæque iuuant dirum detrudere finibus hostem,
Conueniuntque viri, pueri, innuptæque puellę,
Longa simulque cohors matrum, fortesque Boiari,
Mœnibus expediunt tormenta, minancia campis,
Expectantque hostem non segnes pectore dirum,
Arcis vbi ventum sub mœnia celsa Smolensci:
Turrigeros muros acies, circumstetit omnis,
Obseditque sinus valli, atque angusta viarum:
Quà ruit Arctous Boreas, pars castra locauit,
Pars hominum fixit tentoria, nimbifer alis
Flamina quà nigris Auster ventosa relaxat.
Hi Zephyrum opponunt capiti, quà nubila densus
Sępè ciet, nimbisque solum conspergit,& æquor,
Olli prospectant Eurum: sic vndique clausis
Auxilia eripiunt, animosam spemque recidunt:
Intentare ferum bellum iam Sarmata pronus
Dispositas acies muros deducit ad altos,
Insomnes vigilant equites statione, simulque
Arma parant pedites, mora cessit: at ira, dolorque,
Exacuunt animos, spoliis hic miles opimis
Altior, haud dubitat dulcem profundere vitam.
Interea cœlum roseis Aurora quadrigis
Liquit, & exoriens Titan fulgore corusco,
Depulsis tenebris lustrauit lampade terras:

Rex

REX blando vultū, generoso pectore, verbis
Heroas, sociosque viros affatur amicis:
O iuuenes, primus mecum quis curret ad arcem?
Perfida quis bello Moschorum corda lacesset?
Hæc ait: & gladium tenues coniecit in auras.
Principium pugnę, in bellum Moschosque vocauit.
Fertur equo propiùs: murosque, & mœnia cursu;
Primus init; non illê metus, non ille pericli
Telorumque memor. Qualis cum carcere rupto,
Emicat impatiens leo, si quodcunque proteruis
Faucibus inuadit stabulum, mox claustra refringit
Et validis portis intrat, discerpit hianti
Dente fremens mutas pecudes, fætumque trementem,
Latè fusa iacent armenta, humilêsque bidentes:
REgi sic iræ ignescunt ad celsa volanti
Mœnia, sic auidus muros oppugnat, & arcem,
Frangere claustra volens, dirumque excindere Moschum.
Protinùs exemplum Ducis, euentumque secuti
Lechiadę, ad muros furibundâ mole feruntur,
Pars scalas promunt, pars stupea vincula muris
Intendunt, cœciq́ue ruunt, tormenta per auras
Cum strepitu reboant, densumque ad sidera voluunt
Fumum, somniferâ occulitur caligine cęlum,
Nox aciem, murosque tegit nigrantibus alis:
Effodiunt alii caueas tellure sub imâ,
Plenaque supponunt glomerato puluere vasa.
Pulueribus celerant Vulcanum adiungere, flammâ
Illicèt incensus disiecit mœnia puluis,
Fit strepitus; veluti nigro cùm fulmina cœlo
Discurrunt, feriuntque latus, nubemque sonoram:

Con-

Contremuit cælum, gemitumque dedere lacunæ
Syluarum, trepidant vndæ, campique iacentes;
Rudera vaſta iacent, terris æquata ſupinis,
Apparent homines trepidantes pectore ſubtus,
Vrgent Lechiadę, ſed greſſum militis arcent
Moſchi, nunc armis, nunc telis deſuper, intus
Foſsaque ſtipitibus quernis armata coêrcent,
Horreſcit ferri ſeges altè, vltroque minatur.
Miles vbi inſidias conſpexit, tergore cedit
Retrò, mox fraudem conclamat ineſse doloſam.
Ocyùs incenſum reſtaurant turba foramen
Hîc vbi nulla datur cæcum ex ſuperare poteſtas
Conſilium, clauſos longâ obſidione teneri
Eſt animus, maleſuada fames quò dedere muros
Cogat, & optatam promptos exquirere pacem.
Ecce autem ſubitò feruens exercitus agris
Aduolat, auxiliis auidus, defendere clauſos,
Nec mora, nec requies: ZOLKIEVIVS vndique cingit
Omnes qui veniunt, & ferro ſternit acuto.
At miſeri Ciues, quos fortia clauſtra tenebant;
Abſque cibo, & potu languent, fætoreque ſenſim
(Heu cladem infandam) abſque ſuo moriuntur honore.
Tertia iam Cererem ſpicis pendentibus æſtas
Torruit, heu miſeros non adiutura Polonos:
Cùm IAGELLONIDES per ſomnum rurſus adeſse,
Crinibus intextus flauis, diademate fulgens;
Viſus, & ingeminans has REGI infundere voces:
O mea progenies, quid ſomnus membra ligauit?
Surge agè, tempus adeſt, quo muros vincere Moſchi
Fas erit, en comites habeo tua caſtra ſequentes;

Hic est, quem spectas oculis ANTONIVS, æuum
Exactus, vitamque suam, in stimulante cucullo:
Ille STANISLAVS, præsul dignissimus olim
Craci, veste ruber, gladio quem regia dextra
Discidit in partes, cælo nunc integer alto est:
Nos tibi suppetias ferimus, nunc mœnibus insta,
Debiliora petit loca deinde, & mœnia quassat,
Ostendens digitis antiqua foramina sanctis,
Militibus facilem ingressum, tectosque canales,
Hoc idem faciunt, quos secum duxit in arcem.
Ipse Sigismundus somno consurgit ab alto:
Adsumus, ô Diui, vestigia vestra secuti,
Dum viuam, semper, tanti memor esse triumphi
Auxiliique volo, mittam solemnia lętus,
Votiuas tabulas, atque aurea pignora vobis.
Hortatur socios iterum REX. clasica racum
Ingeminant murmur, quo fortia pectora surgunt,
Concutiunt muros tormentis, cuncta fragorem
Ingentem excipiunt, tellus miratur, & vndę
Vi cecidêre solo, pulsu quo maximus ęther
Intremuit, magnus liquidum ferit ęthera clamor:
Hàc alii veniunt, aliique canalibus imis,
Perfringunt alii portas, hostemque trucidant,
Diripiunt delubra, furit per nubila grando
Impete telorum, iaculabilis ingruit imber:
Incendunt alii: mox flamma per alta domorum
Tecta furit, trepidant immisso milite Moschi,
Nigra fauilla volat, rutilumque offuscat Olympum:
Diffugiunt pueri, caueas, tenebrasque requirunt,
Dura stupent manibus percussę pectora matres:

At fine

At sine more furit miles, Moschosque timentes
Inuadit, tumidumque ferox bacchatur in hostem,
Vt fera, quę cernit venantûm indaigne, saltus
Lustrari, nullos audet dare corpore motus,
Tecta latet dumis, pudibundaque frondibus ora
Protegit, aut pauitans putri occultatur in antro,
Ast vbi se sperat tacitam, iam iamque teneri,
Contra tela, plagasque ruit, seseque b ipenni
Obiicit, & saltu supra venabula fertur:
Sic petiere fugam, sic quęsiuere salutem,
Per strictos gladios, per ferrea tela, per hostes.
Rex prior inuadens custodem protinus arcis;
Pauca refert: Quęnam cordi fiducia vano?
Siccine Sarmaticas contemnitis ergo phalanges?
Quin fuerat meliùs Regem sperare benignum:
An modò Moschiadis parcam, queis perfida corda?
Hinc lateri tumido, capulo tenus abdidit ensem,
At miser in truncum, cum pondere prono
Procidit, in caput, inque humeros: mox talia subdit:
Ne trepida, Regis dextrâ cadis, ista futurę
Mors fuerit laudi, sint hęc solatia fati.
Persequitur Mesoiedum, cui colla, caputque,
Amputat, in terram cecidit sine nomine truncus:
Ignaros dehinc in muris, Martemque cientes,
Hodunum, Costum, Curilum, Smoilumque, Ricumque,
Extinguit letho, rigidum fugientibus ensem
Intergum infigit, SIC vires ira ministrat:
Tum Camenecius Siencum, Nouoduorscius acer
Sternit Ophanazum claro de sanguine cretum,
Ille cadens subitò morientia lumina claudit.

 Zol.

ZOLKIEVIVS diram gladio facit vndique ſtragem,
Ioanus, Vaſilusque cadunt, audaxque Bulatus
Multaque pręterea proſternet corpora paſsim.
Quid CHOTKIEVICIVS? Petrilum, Tymcumque, Stecumque,
Magnanimum, celeri tria pectora perforat ictu,
Illi per collum, ſed tranſiit haſta per inguen
Huic, Tymci pectus confixit inerme furentis,
Hic multos longè mactat, lateque SAPYA,
FEliniusque ferus, DORohoſtayſcius atrox,
Millia multa ſoli dorſo iacuêre ſupino:
Hi gladio cecidère, illos Vulcanus aduſsit.
Aèrias ſtabat turris producta ſub auras,
Quadrato ſaxo, nulli expugnabilis hoſti:
Hanc dum flagranti craſsus fuligine ſenſim
Mulciber inuoluit, flammisque palatia ſepſit:
Ecce oculis magnum, & viſu mirabile monſtrum,
Crines incomptus, rigidus languine, vultum
Fumiuomus, nigris veluti Phlegetontis ab vndis
Emergit Baiteus, vittatâ veſte ſacerdos,
Obſtupuère acies animis, conterritus ipſe
VAIERVS, retrò greſsum cum voce repreſsit.
At non Siſmundo pręceps audacia ceſsit,
Corripit exanimem lęuâ, dextraque mucronem
Stringit, & inſurgens latus inter, & ilia ferrum
Condit, dimanat cruor, heu pręcordia rumpens,
Voluitur exſanguis, fuluâ diſtentus arenâ:
Irroratque ſolum cerebro: tum calcibus atram
Quaſsat humum expirans, ſingultibus ilia, pulſat,
Quis rogo diuerſas hominum, quis carmine cædes:
Interitumque Ducum, quos Sarmata merſit acerbo

Fyne-

Funere, deſcribet? Quis parta trophæa reuoluet?
Heu miſeram ſortem cędis? con creta cerebro
Per nares ſtillat ſanies, mortalia fædans
Pectora, perq́ue oculos largo cum ſanguine foſſos:
Quid niſi conſpicitur Mars vndique, & vndiq́ue ſanguis
Moſchiadûm, tellus madefacta cruore redundat.
Suppliciter triſtes geminas ad ſidera palmas
Tendentes alii, vitæ vlterioris amore,
Prouoluunt ſeſe genibus regalibus vltrò,
Et fuſis lacrymis ſpargunt plantaſq́ue, ſolumq́ue,
Tum verò Princeps, caſus miſeratus acerbos
Moſchorum: citius lituos inflare canoros
Ritè iubet: ceſsat bellum, furor, iraque ceſsat,
Extinguunt flammas, victis donantq́ue ſalutem:
Sed tabulata ruunt alto de culmine tecti,
Turrigeræq́ue domus nigreſcunt igne peruſtæ.
Sauromatæ verò conclamant ore triumphum,
Atq́ue Sigiſmundum fauſtis ad ſidera tollunt
Vocibus: O Regem fauſtum qui præſidet aruis
Sarmaticis, geſtiſq́ue ſuis res æquat Olympo,
Non potuit STEPHANVS Batoręus vincerè magnus,
Nec priùs amiſsos Smolenſci reddere muros:
Tu reddis nobis ô Iagellonia proles,
Sic placuit Superis te condecorare, merentem:
Semper honos, nomenq́ue tuum, laudesq́ue manebunt,
Viue diu fęlix, atauis fęlicior ipſis,
Et tua progenies quoduis dominetur in ęuum.
Intereà ducunt captiuos pectora męstos,
Sviſcius hic cum fratre ſuo, SEINVSq́ue reuinctus,
Multaq́ue pręthereà clarorum turba virorum.

REX CHOTKIEVICIO tradit murosque, manusque,
Tutarique iubet Smolenscum milite forti,
In regnum dulcis patrię parat ipse reuerti,
Quò res componat meliùs, cętusque frequentes
Conuocet, & recreet, iam fessos ore Polonos;
Delegit comites, patrię que reuersus in oras.

Nec quae pteriit cursu revocabit unda
Nec quae praeteriit hora redire possit.

Navita de ventis de tauris narrat arator
Enumerat miles vulnera pastor oves